



**Augustinianum Systema De Gratia Ab Iniqua Bajani, Et  
Janseniani Erroris Insimulatione Vindicatum, Sive  
Refutatio Librorum Quorum Titulus Bajanismus, Et  
Jansenismus Redivivi In Scriptis PP. FF. ...**

**Bellelli, Fulgenzio**

**Monachii [u.a.], 1749**

§. V. De sensu quinto Baji, itidem noxio ac damnato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83723](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83723)



cato, & ad peccatum alliciens. Verum cum non sit in libera potestate eundem motum non experiri, nequit reputari illud peccatum, quod est legis inobedientia, & transgressio, quidquid commentus est Bajus merito ab Apostolica Sede proscriptus.

Generalis est, ac sæpenumero à nobis repetita sententia, in operibus indeliberatis, ac necessariis nullam meriti, laudisque inesse rationem, quemadmodum nec vituperii, aut malitiæ; atque eandem sententiam his verbis expressam invenies initio c. 2. libri primi ac vicesimi.

Tom. 4.  
3.  
Recedit ter-  
tio.

## §. V.

De sensu quinto Baji noxio, & rejecto.

## SUMMARIUM.

I. Et seqq. Nec quintum Baji errorem un-

quam docuit Author, idque energicè ad finem demonstratur.

Error Baji.

**B**Ajus insuper inter noxiam cupiditatem, & charitatem laudabilem non admittit actum aliquem bonum, permanantem ab habitibus infusis, à charitate distinctis.

ad cujuslibet virtutis actum explicitum illum amorem, qui tendit in Deum ut summum bonum, constituitque virtutem peculiarem cæterisque præstantiorem, quæ speciali quadam ratione dicitur charitas.

Tom. 4.  
1.  
Hunc non docuit P. Ber-  
ti, patet pri-  
mo ex libro  
ejus 21. cap.  
4.  
Libro autem XXI. de Theologicis disciplinis cap. 4. hæc leguntur: *A nobis non denegantur alii virtutum habitus à charitate distincti, cujusmodi est fides, spes, timor; neque recensetur inter vitia, aut detestatio peccatorum excitata ex illorum turpitudine, aut bonum opus patratum intuitu mercedis, aut fides, quæ à charitate sejungitur; quemadmodum autumabant illarum propositionum assertores: sed cum hæc omnia virtutum habitus, & in se inspecta bona esse profiteamur, contendimus habere à charitate, & ab amore virtutis formam, ac perfectionem; quamquam iis habitibus, ac virtutibus recte utamur, etiam destituti charitate habituali, dummodo aliquo amore dirigantur in Deum ultimum finem, aut saltem conformentur communi, & incommutabili regulæ rectitudinis.*

Tom. 4.  
2.  
Secundò ex  
libro 23. cap.  
10.  
Libro 23. cap. 10. hæc leguntur: *Ad virtutem non requirit Schola Augustiniana charitatem habitualem; sed ordinem dilectionis, qua virtus non sit inflata, dum ad se ipsam refertur, nec vitio labefactetur, dum marcescit cupiditate; de quibus plura lib. 18. cap. 3. Deinde proficitur habitus virtutum etiam supernaturalium, à charitate distinctos; tametsi charitas actibus cæterarum virtutum tribuat formam, ac perfectionem; ut explicavi supra. Denique contendit humanam voluntatem in quolibet exercitio virtutis duci vario ipsius amoris affectu, sive boni cupiditate, quæ nec deest in fide informi, auctore D. Thoma 2. 2. qu. 5. art. 2. ad 2. sed non requirit*

Eodem libro cap. 11. hæc leguntur: *Spes à fide & à charitate distinguitur, etiamsi ad actum spei requiratur amor aliquis inchoatus, quo Deus diligitur, ut inquit Estius in 3. distinct. 26. §. 2. quatenus ab intellectu proponitur, ut summum ac beatissimum nostrum bonum, licet semper non adsit amor charitatis, quo voluntas affecta cætera omnia summo bono postponat. Ac de timore in proximo cap. 12. Potest etiam esse ordinatus, & rectus, quia potest formidare gehennam ob sui amorem, qui non sit vitiosa cupiditas. Et paucis interjectis: Advertas, quod si huiusmodi timor naturalis sit, neque ex perversa cupiditate, & prædominante rerum creaturarum dilectione oriatur, nequaquam culpandus est, sed est innoxia passio nature imbecillis, atque infirmæ, ut paulo supra diximus cum Augustino. Illud quoque animadvertas non esse timorem mundanum, & malum, eum, quo aliquis timet sæcularem potestatem, iudicemque terrenum; dummodo hunc timeat quatenus à Deo constitutus est, nec sine causa gladium portat, ut ait Apostolus ad Rom. XIII. 4. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Nam istiusmodi timor rectæ rationi consentaneus est, neque natura sua excludit amorem justitiæ.*

Tom. 4.  
3.  
Ex eodem li-  
bro cap. 11.

Integra dissertatione lib. 19. cap. 4. demonstro peccatorem fide, spe, ac timore ad justificationem disponi.

4.  
Ex libro 19.  
cap. 4.  
Tom. 3.

In dissertatione de Pœnitentia in lucem edita biennio, antequam Bajanis-

Tom. 7.

mus



mus Redivivus prodiret, initio scilicet anni 1743. cap. 1. ad hunc modum loquor: Quid vero dicendum de Penitentia, quam in nobis excitat timor gehennae, ac turpitudine peccati? Illam proculdubio inter veras virtutes communerere debemus. Quamquam enim volumine IV. à nobis tradita est definitio illa virtutis, Virtus est ordo amoris, quae atque Augustiniana est, Augustini verbis contexta, & Augustiniana doctrina munimentis firmata; non tamen inde inferre quis potest denegari à nobis veras, propriasque virtutes à charitate distinctas. In eodem quippe volumine 4. eodemque capite testati sumus dari plures virtutum supernaturalium habitus absque charitate: quod iterum asseruimus lib. 23. cap. 10. commonstrantes veram ac supernaturalem fidem remanere in homine impio, ac rursus cap. 12. ubi adversus novatores ostendimus timorem servilem esse bohū ac supernaturalem, neque in eo inveniri aliquid vitii, quod eidem timori sit adscribendum. Plura subijcio clarans me nunquam aliud intendisse præter id, quod traditur à S. Thoma 3. part. quæst. 85. art. 2. In eodem tractatu de Poenitentia cap. 5. refello propositiones Baji, & Quesnellii circa timorem à charitate sejunctum: & in sequentibus rursus de propositionibus Baji pertractans, eas, quae ad timorem spectant, longe discrepare à sententia nostra demonstro tum ratione, tum complurium Theologorum testimoniis, præsertim Lamberii Le-Drou, Caroli Vitasse, P. Le-Droint, Francisci Suarez, aliorum: ac post tam apertam, repetitam, & ubique insertam Bajani erroris detestationem, adinveniri potuit, qui me tanquam Bajanistarum omnium fraudulentissimum traduceret, extantque inter viros Catholicos, qui tanto impostori fidem adhibeant, nunquam fortassis, aut nonnisi perfuactorie libris nostris perlectis? Aut legant, & quae in Bajanismo Redivivo continentur cum operibus nostris conferant diligentius: aut si libros nostros despiciant, quod à fratre humilis fortunae conscripti sint, eosque tantum pervolutare velint, qui exarati dicuntur à Viro Ecclesiastica dignitate insignito; obsecro, atque obtestor, ut meminerint cujus sint ea verba, Non valde curo superborum, imperitorumque judicia, qui similiter in legendis libris, atque in salutandos homines irruunt. Non enim cogitant, quales ipsi, sed qualibus induti vestibus sint, & quanta pompa rerum, fortunaeque praejuleant. Sed jam quid ex dictis aper-

R. P. Berti Theol. Tom. IX.

tissima consecutione inferatur, attendant.

## CONCLUSIO.

In libris de Theologicis disciplinis non habetur pravus sensus articuli 38. Baji, ideoque nec ullum vestigium Bajanismi: cum iudice Anonymo pag. 18. & 47. præcipuum Bajana doctrina dogma, ceterorum fere omnium errorum in Bajo damnatorum caput, atque principium istud sit, quod omnis amor, quo creatura rationalis fertur in aliquod objectum, est aut vitiosa cupiditas, qua mundus, & ea quae in mundo sunt, diligitur, aut laudabilis illa charitas, qua Deus amatur, atque ideo omnis amor creaturae rationalis habet pro fine vel Deum charitate amatum, & est laudabilis; vel mundum, & est culpabilis, atque vitiosa cupiditas.

## DEMONSTRATUR.

Pravus & haereticus sensus Bajani articuli 38. est, quod inter vitiosam cupiditatem, quae à Joanne prohibetur, & laudabilem charitatem, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur, non datur amor elicited à charitate inchoata, & initiali, quae formaliter non justificet, nec mereatur de condigno vitam æternam: non datur in peccatore, vel servo peccati amor aliquis, vel actus, qui non vitietur à prædominante cupiditate: non datur amor ortus ex appetitu innato beatitudinis, qui non sit amor laudabilis charitatis: non datur motus concupiscentiae & pravae cupiditatis, qui non sit legis inobedientia, & transgressio; ac tandem non datur amor aliquis ordinatus, vel actus aliquis bonus, procedens ex habitibus à charitate distinctis. Haec propositio constat, & evidentissima est ex primo capite hujus dissertationis.

In libris de Theologicis Disciplinis expressissime admittitur actus elicited à gratia actuali, qui non est amor charitatis justificantis: admittitur in peccatore & in servo peccati amor naturalis, & honestus, qui non exoritur à cupiditate prædominante: admittitur amor beatitudinis ortus ex appetitu innato, aut elicited, qui non est illa charitas laudabilis: admittitur prava cupiditas, sive motus concupiscentiae, qui non est inobedientia & transgressio legis; ac demum admittuntur actus virtutum, quae sunt habitus infusi à charitate distincti, nec tamen à mundi cupiditate vitiantur.

H

Hæc

Item ex Dissertatione de poenitentia cap. 1.

Plura subijcio.

S. Augustinus de Ordine lib. 1. cap. 11. tom. 1. pag. 227.

Ab hoc dogmate libri de Theologicis disciplinis puri esse demonstratur.



Hæc propositio ex hoc secundo capite manifestissima est.

Igitur in libris *de Theologicis disciplinis* non habetur pravus, & hæreticus

sensus articuli 38. Baji, qui iudice Anonymo est præcipuum *Bajanæ doctrinæ*, & cæterorum fere omnium errorum in Bajo damnatorum caput, basis, atque principium.

## §. VI.

*Discutiuntur momenta, quibus Anonymus nititur demonstrare in libris de Theologicis Disciplinis sensum propositionis Bajanæ XXXVIII.*

## S U M M A R I U M.

1. Primum parat insultum Anonymus; ast refellitur, & falsitatis convincitur.
2. Alterum adversarii momentum inane esse ostenditur, repelliturque illius ratiocinatio Dialectica.

3. Procedit ulterius Anonymus, & mentis ostenditur.

4. 5. Enodantur aliæ duæ objectiones.

Contendit iam Anonymus in libris de theologicis disciplinis contineri sensum propositionis Bajanæ 38.

*Bajan. Rediv.*  
pag. 12. 179.  
238. 260. 271.

Quisquis legerit testimonia ex libris à me in lucem editis collecta, & paulo supra producta, atque ex hac parte agnoverit illa articulis Baji, horumque pravis sensibus adversari, ex alia autem parte acceperit me tanquam Baji sectatorem ab Anonymo auctore *Bajanismi redivivi* proscindi, & crudelissime lacerari; existimabit proculdubio apertissimas antilogias, & dogmata præcedentibus contraria in lucubrationibus meis adinveniri, quæ accusatorem non traxerint modo, sed impulerint ad tam acerbam, immanissimamque criminationem. Verum ille nec me aliquo saltem in loco detestari Bajanos errores fatetur: nec me reprehendit huiusmodi antilogiæ; nec me unquam honorificentiori titulo appellat, quam hominem opinionum pravitate, & in hæreticas novitates studio corruptum, ab Orthodoxis cum Baji sectatoribus dissidentem, errores in Baji propositionibus damnatos evidenter renovantem, nullatenus discrepantem à Sectariis, tentantem evitare Ecclesiæ censuras; & si aliquid in scriptis meis reperitur, quod videatur à proscriptis articulis dissonum, illud arte, subterfugio, fraude à me insertum ad Constitutiones Apostolicas eludendas. Profecto qui ad hunc modum loquitur, debuit tam expressum *Bajanismum* in libris meis reperire, ut nulla mihi evadendi via relinquatur; aut si id non reperiit, iudex est insipientissimus, atque iniquissimus. At imploro humillime obtestorque Theologorum omnium æquissimum, rectissimumque iudicium, necnon sanctam Ecclesiasticorum Judicium au-

thoritatem, ut postquam assertiones meas directe Bajanis oppositas examinaverint, expendere non dedignentur num accusatoris huius argumenta talis sint generis, ut cum iis, quæ paulo supra in defensionem meam attuli, possint aliquantulum comparari, eaque valeant revincere ac superare.

Demonstraturus itaque Anonymus in *Bajan. Rediv.* libris meis sensum Bajani articuli 38. ait pag. 173. me quidem illum *expressis verbis* non tueri, doctrinam tamen illius evidenter amplecti, dum affirmo lib. 21. cap. 2. de quocunque actu humano, quod, *nisi adsit charitas per quam referatur in Deum, in praxi operans non operabitur propter æquitatem, cuius habet ideam ingenuitatem; sed aut sibi placens, aut fruens bonis commutabilibus, & ideo opus erit prævum, atque perversum.*

Ad hæc ita respondeo: Principio cum in scriptis meis non potuerit Anonymus invenire propositionem 38. in Bajo damnatam, & propter consecutiones, quas è doctrina Scriptoris Catholici infert aliquis contrariæ sententiæ propugnator, nefas sit eidem doctrinæ calumniam inferre; consequitur totam hanc *Bajanismi redivivi* molem esse alicujus impostoris figmentum. Deinde verba, quæ producuntur ex volumine IV. lib. 21. cap. 2. mutilata, & subdole concisa in medium prolata sunt. Ita enim eo loci scripsi: *Dixi omnium menti inesse regulam quamdam incommutabilem æquitatis, sed hominem ipsum magis movere, atque ad agendam trahere imagines rerum sensibilium, & insensibilium peccato*

Respondetur  
& falsitatis  
convincitur  
Anonymus.

Tom. 4.

primæ